ADOREA

Illustriss. ac Rndiss. Dño,

D. ANDREÆ LIPSKI,

ANTISTITI

LVCEORIENSIVM

DIGNISSIMO.

A

SIMONE STAROWOLSCIO

In sua consecratione

Oblata.

CRACOVIÆ,

In Officina Typogr. Lazari, apud Matth: Andr.

Anno D. 1617.

In Arma Illustrissimi.



LIpscia clara domus, saxoso monte nitescit:
Vinea sed rastris, Christe, polita viret.
Lux oritur vobis malefidâ mente Rutheni:
PASTOR honore Gregi se exhibet ecce nouo.
ANDREAS LIPSKI pietate decorus, & arte
Deliciæ Regum, laus Patriæ alta venit,
Lucem in Hyperboreas Præsul sacrate fer oras,
Errorum tenebras disiice, Mente, Pedo.

ROmanos olim Dominos rerum fuiſſe, nec dubitamus, nec miramur, Illuſtriſſ: Præſul, non dubitamus, inquam, quia hominum, rerum, & temporum antiquitates, etiam nũc in ea ipſa quam incolebant vrbe, cernimus: non miramur, quia virtutes & præmia, ſedes ſuas ibi certò habuiſſe ſcimus; pro quibus Diuina illa benignitas, creſcere voluit eos in magnas opes, copias, opera: vt non vanè Ammianus dixerit, *Romam imperij, virtutumq́; omnium larem eſſe.* Profectò erat, & illis ipſis ſtatum ſuum Romani, ac firmitatem debebant; cui, non iniuria templum pariter ac Honori, poſt Fortunam ſtruxerant, vt ſi altera earum, ex ciuibus alicui non defuiſſet, ad perfectam ſummitatem talis, & augmentum honorum deueniſſet, ſed illa potiùs quam iſta, ſuum opus facere niteretur. Nam hæc ſpectabant, ne viles aut ſordidi (licet & plebeios interdum aſſumerent) in Senatum venirent, ſed eximij ciuium ſolùm, genere, cenſu, virtute, vel quos ſola hæc alta Diua, ad faſtigium ſub-

 limitatis

limitatis tranſportârit. Laudabile inſtitutum! & Poloniæ noſtræ Principibus multis ſæculis probatum! qui velut per manus tradita conſuetudine, non niſi ſimiles, ad omnia ciuilia & militaria munia legunt, vel qui publica iudicia aut teſtimonia pro ſe haberet. Argumēto, Tua ſolemnis & felix inauguratio, quem cum per omnia ſimillimum, priſcis illis Romanis, Rex ſapientiſsimus videret, & ciuilibus artibus atq; ijs virtutibus; quas omnes boni vehementer ſuſpiciunt ornatum, nihil prius aut potius faciendum putauit; quàm vt Te Secretarij titulo primò, Senatoria dignitate deinde, atq; Infula Luceorienſi ornaret, qua inſignitus velut *Iaddus* alter, vitæ ſanctimonià, & velut redditus è cœlo *Helias*, diuini verbi enodatione, præluceres illis, in ſchiſmate Ruthenico excæcatis Wolhyniæ populis; quos probè pernouit, neque bene regi, neq; ratione adminiſtrari poſſe, niſi ab excellentibus viris, & quorum vita eſſet in exemplum. Vt enim non ſatis ſufficit, ipſum caput ad reliquum corpus tuendum ſanum eſſe, niſi etiam cæ-

am cætera membra, fungi ſuo munere valeant: ſic non ſatis Principem ipſum culpâ vacare, niſi quoque in adminiſtris, debita diligentia, & ſolida virtus, proportione reſponderent. Ex quibus auguſtiſſimi Senatus ordo conflatus, non minùs nomine, quàm re eſſet illuſtrior, vt ſi vetus ille Cyneas redeat, & talem conſeſſum videat, nihil ambigat, vel cum Regibus iterum, vel cum Heroibus cõparare. His te adnumeratum Magnæ Præſul, cum è dolio Diogenis intueor, idem mihi accidere ſentio, quod ſolem aduerſum intuentibus euenire conſueuit, qui, dum radios effuſamq; lucẽ ferre non poſſunt; hebeſcentia lumina, vel vix illo viſo, ne aſpectum perdant, auertunt: Sic ego fulgore virtutum tuarum circumfuſus, dum meritis laudibus eas exornare contendo, ne mente quidem, aut puerili genere dicendi complecti poſſum; veritus, ne deformatis potiùs illis, quàm inſulſa explicatis oratione, aures tuas offendam. Quid igitur faciam? dicam, nõ tam impudentia mea, quàm illa ſingulari lenitate tua impulſus, non

priſcis modò Romanis Te parem, ſed primæ illi & puræ Eccleſiæ Patribus ſimilē: & cum alijs laudibus, tum hac duplici eximium, *Modeſtiæ* & *Eruditionis*, quæ vtraq; in Te, vel hoc ipſo effulget, quòd magis exoptas laudanda facere, quàm quæ feciſti laudibus exornari.

Et cum pleriſque mos ſit illuſtri loco natis Ampliſsime Præſul, ſe ſolos mirari, contemnere cæteros, & ſe vnos honoribus, imperijs, muneribus dignos iudicare, recenti verò & creſcenti virtuti, ea vna re inuidere, quòd obſcurioribus parentibus, & humiliore nati ſint genere. Ideo te Magnum & varijs virtutum radijs coruſcum Antiſtitem, ab hac potiſſimùm cauſa, ſeu diuina Tua Diua (*modeſtiā* intelligo) laudare inſtitui, quod Stoicorum illud, ſiue potiùs Chriſtianorum, *hominem natum hominis cauſa*, perſuaſum infixumque habens, in ea ſemper fuiſti opinione, vt quemq; ſpectandum aut amandum, ex ſuis bonis putaueris, non autem ex alienis; & eos modò verè claros ac nobiles dixeris, qui Solis adinſtar, non Lunæ ſplendeant, etiamſi humili genere

nere

nere orti eſſent. Probè enim exploratum habes, nulli tàm ſtatim clarum ingenium conceſſum, vt ſubinde poſſit emergere, niſi ei materia, occaſio, fautor etiam atq; commendator contingat. Cum demiſſi hominis virtus, ſimilis ſit maximè viti, quæ niſi arundinẽ aut vlmum, aliamué nacta ſit arborem, qua nitatur clauiculis, & ſe erigat atq; attollat, iacet humi inculta: ita ille niſi Principem aliquẽ nactus fuerit virum, qui faueat ac ꝓmoueat, vix poterit, è tenebris domeſticæ obſcuritatis emergere. Sed vt vitrũ, quamuis ſuapte natura pellucidum ac ſplendidum, non tamen fulget ad oculos noctu: ſic nigreſcet domi, nube offuſus Cimmeria. Summates etenim ac imperiti, magna ingenia & mala in æquo ſtare putant, nec habilitatem vllam ineſſe inferioribus ad virtutem. Et hoc quamobrem? eo me herclè, quod ipſi ad vitia proni, vt plurimùm, fieri ſolent; non quidem deprauatione naturæ, quæ etiam per ſe corrupta, cauſas plures ſiue occaſiones ſuperbiæ, atque ex ea criminum, in alto poſita habet, quàm acceſ-

ſione

sione deprauatorum, qui etiam praue facta laudantes, assiduo applausu & blanditiis Principes dementant, id est, blatiunt nugas. Et non solùm tenuiores à Regum conspectu submouent, vt in gestis Rudolfi Austriaci videre fas est. quos optimus ille, optima atq; vtinam imitanda voce, non sine stomacho reprehendit, *Per Deum*, inquit, *sinite homines ad me venire: non enim ideo ad imperium sum vocatus, vt in arcula includar*. Quo nomine & *Marcus* quoq; Imperator ab *Herodiano* laudatur. Sed proceres etiam ipsos aspectu & alloquio arcent, infirmitates, occupationes, aut venerationem adfectatam mentiendo. Atque id ipsum de more veteri Persarũ, apud quos persona Regis, sub specie maiestatis occulitur, & Principes intra secretum Palatinæ domûs inclusi, tanquam aliquod vestale secretum consuluntur, in publicis autem conuentibus aut pompis, super ora & capita aliorum feruntur. Sed quid hoc de Regibus, aut Principantibus? ecce olim libertum (is fuit *Pallas Claudij*) qui susurronum blanditiis irretitus, huc su

perbiæ

perbiæ & fastidii deuenit, vt venerationi asserendæ, *nunquam domi aliquid, nisi nutu aut manu, significaret, vel si plura demonstranda essent, scripto vsus, ne vocem sociaret.* Sed & *Alexandrum* illũ à tali patre, tali præceptore vide: fastidit homo esse, nec iã *Philippi*, sed *Iouis* filius audit. *Iulius* item *Cæsar*, ille animi & ingenij magnus. quid? impingit: & omnium victor, adulationi succumbit; voce emittit; *Debere iam homines consideratiùs secum loqui, ac pro legibus habere quæ dicat.* Itane pro legibus omnia dicta? pro imperio solos nutus? difficile est credere, virum talem sic elatum & ablatum. Quid *Caligula, Domitianus, Commodus, Rogerius,* & hęc portenta, qui, quiduis potiùs quàm homo videri, imò palam salutari & haberi *Dominus Deusq; noster*, volebant? Omnes istos tales, insitum Aulæ malum, fecêre Adulatores, qui Magnatum gratiam aut Curiam, non aliter, quàm muscæ, culices, aut fuci, vlcerum saniem aucupantur. Sed vos ô Principes boni, cauete & videte, ne vobis isti agyrtæ ampliús imponant, & sua consuetudine aut po-

tentia, veſtram autoritatem obtegere contendant, vel potiùs deformare. Profectò enim nulli bono vſui veſtro, nulli honeſtati, nulli famæ diurnanti attendunt, niſi vt ſimiarum modo ſaltent, morſicēt, riſum moueant, ac ſuæ vtilitati, veſtro dedecori inhient. Haud vanè itaq; Diogenes interrogatus, cuius beſtiæ morſus eſſet periculoſior, vel magis venenatus, reſpondit: *ex feris eſſe maledicum, ex domeſticis adulatorem*, cum reuera ſint eiuſmodi, & vt maria ſua ſponte quieta, vento intumeſcunt: ſic Principes natura ſæpè boni aut mites, per incendiarios iſtos inardeſcunt. Sed parco dicere, & ſi non optare, tales à tua Aula & conſuetudine, Præſul Ampliſs: excludi, & cum adaucta dignitate, cæptas, imò ſuetas virtutes augeri: quibus hunc ego honorem, hanc ADOREAM, non prædam ſed præmium gratulor, & venerationis ſuæ donarium, gratitudiniſq; monumentum, publicè ac priuatim condico. Et *priuatim* quidem, gaudere me in honore tuo par eſt, quem benefactorem & Patronum mihi ſenſi, & hanc tuam

maxi-

maximè incredibilem, in istâ altitudine comitatem, Warsauiæ gustaui, cum ad Aulam Serenissimi Regis (ad quem parùm fausto pede ieram) accedenti, Bona Fortuna mihi copiam fecit, vultus sermonisq; tui, videndi obiter & fruendi; ex quo ingratissimus mortalium sim, & dignus eâ notâ, quâ *Sulla* Athenienses inussit, nisi eam gratiam, gratitudinis signo rependam. Quod ecce facio, & immortaliter ad tui nominis æternam prædicationem, profiteor, animo, ore, stilo, atq; illud Senecæ alta mente impressum, gero, *Ingratus ille est, qui negat beneficium accepisse, ingratus qui non reddit, ingratus qui dissimulat, ingratissimus omnium qui oblitus est*. Sed publica patriæ causa magis, cui subsidia ista opus talium virorum, & in concusso hoc rerum statu, velut noua munimenta. Vt enim cælo sereno, & mari quieto, minor cura aut inquisitio de gubernatore est, quiuis penè sufficit: at turbido hoc & illo, virum nauis quærit, veterem claui & peritum: sic nunc dixerim, in procellis nimbisque, quibus Religio pariter & Respub. iactantur, ma-

gni intereſſe quem in curam tutelamq́ue eius arceſſi videamus. Videmus te Optime Præſul, & boni omnes gaudemus: qui præter ſcientiam, atq; cum ea modeſtiam, vſum rerum tractandarum adfers, & quod caput eſt, puram illam, & absq; fuco pietatem. Hoc qui te norunt, de Te loquuntur & ſentiunt, hoc vulgi voces, & illa

——— *Solers deprendere ſemper.*

Fama duces.

Cui parem, imò ſuperiorem te fore, & auguror, & opto, & intimis animi vocibus Deum precor, qui te Tui ſimilem ſeruet nobis, Patriæ, Religioni: in quo vota alia, & orationis meæ partem primam claudo, expertus quam ſis tenuiorum hominum generi gratus, & benignus, quos ornare beneficiis, ſubleuare opibus, excitare ſermone & exemplo, nunquam deſiſtis, ratus, nulla in re potentes, meliùs bona inſumere poſſe, quam in probis doctisq́ue viris, & fouendis & honeſtandis; Nihilq́ue opulẽtos facere Deo in terris acceptiùs, quam ſi homines diligant pauperiores, & omnem

cogitationem ſuam, conferant ad benemerendum. Quid igitur iſti benignitati tuæ precer? niſi vt ſemper obliges, obligeris, ames, ameris, incertumque facias, vtrum magis expediat cliẽtibus tuis debere tibi, an prꝯſtitiſſe.

Doctrina, ſed vim protulit inſitam.

quam tu à puero vtrisque vt aiunt amplexus vlnis, non popularem auram captans, nec aliquod fragile falſæ gloriæ choragium comparare ſtudens, humile Muſarum tectum ſubijſti, ſed ſola ex prælibatæ æternitatis dulcedine correptus, atque non neſcius animi artes, corporis artibus præſtare, & celſiùs prudentiam in capite, quàm diadema ferre, ſplendidiùs innocentia veſtiri, quàm Principum purpura. Et *Alphonſi* Aragonum exemplo, tutiùs ſtilum teneri, quam ſceptrum, & bonam famam ad vtrumq; ſolem, quàm imperium & iuriſdictionem. Præclarè ſanè, nec ambige. & apud veros iudices, apud ipſum Deum, prꝯmia tibi & laudes ex ea, ſuper vulgi laureas iſtas aut coronas. Quid enim Reſpublica omnis ſine hac Diua? quid ſpei in hac noſtra,

ſi iſta negligitur? Imò quia olim neglecta fortaſſe, hinc labes iſtæ morum & lapſus rerum, quos dolemus & miſeramur: nec medicinam ijs ego ſpero, niſi à te Præſul Ampliſſ: atq; ſimilibus ſacræ tuæ Claſſis, qui ipſi puriter & ſeueriore diſciplina, ab ipſa iuuenta imbuti, manum & præſidium ſicubi opus datis, & olim earundem cultores, nunc patroni eſtis, ac velut tutelaria numina, inter nubes & nimbos publicos, inter calumnios aut ſuſurros priuatos adeſtis. Adeſte Optimi Principes adeſte & defendite, imò producite optimas artes, quibus à vulgo, à barbaris, à feris differimus, & ſine quibus vt tetigi, parum ornata aut inſtructa Reſpub: vlla aut fuit vnquam, aut erit. Sed & hanc etiam Academiam, veterem earum ſedem, caram ſanctamq; habete, quæ ſola eſt omnium Regni noſtri ordinum exiſtimatio, huius præſtantiſſimæ vrbis ornamentum: ſed & adiumentum, ac totius ferè Poloniæ vtilitas. Impendij autem genus, nullum eſt magno Principe, immortalitatemq; meriturо dignius, quàm quod erogatur in literas.

Sed

Sed quid ego de iſtis aut illa? Tu mihi & tua docta Minerua ſcopus: qui animi dotes & virtutes eas ſtatim à prima ætate prætuliſti, quibus vel obſcuram familiam & famam illuſtrares, cui conferre plurimùm etiam liberales ſciētias Chriſippus palàm ſcripſit. Sunt enim vtiles & neceſſariæ, non aliter quam ædium ſublimium fundamenta, non quia virtutem dare poſſint, ſed quia animum ad accipiendam illam præparant, & ex ea deinde famam atq; bonum nomen donant. *Philo Iudæus* & *Clemens Alexandrinus*, vterq; inter veteres (& hìc etiam inter noſtros) doctrinâ eximij, ſcitâ allegoriâ hoc ingerunt; & prolem Abrahamo ex Agar ancillâ ſuſceptam, cùm parere Sara non poſſet, huc ducūt. *Non enim ſumus*, inquiunt, *apti prolem ex virtute ſuſcipere, niſi priùs miſceamur eius ancillæ. Eſt autem ſapientiæ ancilla, illa quæ in liberalibus artibus ſcientia ponitur.* Et *ſicut in magnis fabulis aut argumentis, magna etiam præmia eſſe oportet: ſic iſtic, maximum enim argumentum Virtus eſt, vt quæ circa grandem materiam verſatur vitam totam: iure igitur non leuibus aut*

bus aut

bus aut breuibus vtetur præmijs, ſed liberalium artium contemplatione imbuetur: quorum teſſera eſt Saræ ancilla. Vera & vetera iudicia, non colere ipſas propter ipſas, quæ niſi leuem oblectatiunculam, aut otij deceptionem habent, ſed propter inconcuſſam ſapientiæ arcem, & in ea VIRTVTEM. Nam quemadmodum veri ignoratio, vitiorum fons eſt & radix: ita neceſſe eſt à veri cognitione atq; ſcientia, quæ doctrinæ ſtudijs maximè comparatur deriuari virtutes; quarum quidem ſemina tametſi à natura ipſa quis poſſidet, niſi tamen adhibeat operam ſtudiaq́; literarum, nunquam ferè ipſa ad bonam frugem perueniunt, & nunquam fructus vberes atq; magnos ferunt. Hos tu Præſul Magne vt caperes & deguſtares, nō ſaltuatim, nec perfunctoriè libellos aliquot euoluiſti, ſed tot annos, tantâ curâ, tam collineanti & recta iudicatione ac notatione, legum, Regum, Philoſophantium, itemq́; nationum omnium & temporum, ſcita, geſta, Canones perlegiſti, vt tranſgreſſo cum omnium applauſu Virtutis templo, publicê Hono-

ris atq;

ris atq; in eo legum & Iuſtitiæ ſacraria inires. Nec ſola contentione in his aſſiduus aut accubuus, ſed natura etiam ipſa adiutus, quæ in Te, vt Zeuxis in ſuam Venerem, aut Phydias in Clypeum Mineruæ contulit, quidquid rari vſquam & vnquam ſortita eſt. Firmiſſimo inprimis animi atq; corporis robore præditum, indole optimum, ingenio peracutum, memoria felicem, lingua facundum, ſtudio ſollicitum, & virtute innocuum, quæ non cõmendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet, ſed deſiderio efflorefcit animorum. Atq; ea ipſa tali armatus aut ornatus, rerum deliberatione breuiſſima, egregius extitiſti æſtimator, celeris recti inuentor, & quod peculiare ingenij tui bonum, in rerum delectu cunctis es oculatior. Quid prudentia in Ciuili aut Spirituali adminiſtratione? quid altitudo conſiliorum incredibilis? quid tranquillitas animi, & vultus in omni euentu aut fortuna? Magna & inconcuſſa ſunt: & quæ Regi noſtro ſapiẽtiſſimo rerum hominumq́; arbitro, cauſam dederunt tui inter alios eligẽdi, quem

ad Episcopatum & Senatum admoueret, vt virtutibus Heroicis vniuersorum pectoribus infixus, &

Omnibus incutiens blandum per pectora amorē

religionem fluctuantibus anchoram, non secus ac Numa aut Lycurgus, tuo suauiloquio præscriberes; vt Reip negotia, partes, ordines, officia, velut alter Aristides vigili cura circumspiceres: vt oblatam in præmium laborum & meritorum dignitatem, tua virtute ornares: vt denique campum patentiorem de Patria benè merendi haberes, & elaborares: vt constaret Principi reuerentia, legibus authoritas, libertas bonis, metus malis. Hæc enim sunt munia optimi cuiusq; Senatoris, qui est publicæ salutis & dignitatis custos, Regis ad pulchra & honesta excitator, à turpibus ac vanis dehortator, prauorum eius affectionum moderator. Quem vt eo sanctiùs ac liberiùs monere queat, addidere duodecim tabulæ, inter cætera de optimo Senatore prodita. *Is ordo vitio vacato, Cæteris specimen esto.* Vetera & vera, sed & aurea addam *Pin-*

dari ad *Hieronem* Siciliæ Regem, dicta

Attamen (melior enim miseratione Inuidia)
Ne omitte honesta. guberna
Iusto clauo populum,
Veracemq́; ad incudem
Fabrica linguam
Si enim vel leue eruperit,
Magnum feretur
Abs te. multorum dispensator
Es: multi testes vtrisque fidi.

Sicut igitur regulam maximè rectam esse oportet, ad quam cætera diriguntur: sic Principem, sic Senatum, sic magistratum vniuersum. Nam homines inprimis ad alta ista flectunt oculos, & exempla sibi suis inde moribus sumunt: est enim ita natura comparatū, vt in eorum qui imperant vitam, ij qui parēt, velut in speculum intuentes, dicta simul & facta diligenter animaduertant, & in Principis animum quasi per rimulas inspiciant; qui bonus emendat, aut alius deprauat. Et vt in corporibus, grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur; sic qui ab illo. Præclarum

itaque Senatorem bonum esse, doctum esse: sed præclarissimum alios facere, cum ipse fuerit. Nam quid ciues sine legum metu? sine diuorum cultu? sine virtutis fulcro? seditiosi, feroces, immodici, atq; vt semel & simul dicam, turba turbulenta cui centuplex murus seruandæ sit parum. Eapropter sacris Deo duce admotus, cum Romam & Italiam vidisses, in Aula Serenissimi Regis Sedem legisti, atq; ita ibi egisti, vt voce ac digito signareris, probitatis, castitatis, modestiæ, grauitatis exemplar. Quæ ipsa statim Te extulerunt, & in Canonicorum Cracouien. augusto Collegio, principem locum *Scholastici* titulo, & optimo sene *Tylicio* humanis sublato *Administratoris* Episcopæ, adsignàrunt, cum omnium fauore, laude, applausu. Vidimus enim te hac dignitate, in amore omnium ac veneratione, non fastu aut superbia, sed factis & fama innotescentem. *Factis* cum non vultu, aut simulata virtutum specie, viam tibi ad honores munire studuisti, sed ingenio, & ingenuo animi candore, atq; ipsis virtutibus demum: patientia,

tiẽtia, labore, vigilantia, & cõſtantia; quibus ſpes magnificas in Regum palatia ſecum portans, paratus fuiſti officium, ſtudium, fidem, principibus viris probare, meminiſſe loci, expectationis, eorumq́; omnium, quæ ad claritatem & *bonam famam* iter monſtrant. Hanc verò talem, cùm animi moderatione, tùm maximè induſtriæ gloria conſecutus es, & ſcripta ipſa ex ea (nunquam ſine laude vel admiratione potiùs legenda) ſe bonitate & vtilitate liquidò probant. Ac primum *Iuris Obſeruationes practicæ*, non honeſti ſtudium tuum ſolùm, in quo ſunt, vt cum Poëta dicam

Fundamenta quibus nixatur vita ſaluſque,

ſed profectum Prudentiæ iam perfectum mihi ingerunt, ſimulq́ue ingenij tui acumen, & à cœlo aliquem ignem: quem, ſapientiæ diuinæ ſtudijs, denique & ornamentis ſiue adiumentis, quæ huic omnis antiquitas admonuit, largius fotum *Decas* illa *Quæſtionum* nuper publicata oſtendit; quam in vtriuſq; Reipub. Sacræ & profanæ finem, imò vtilitatẽ, enucleatiſſimis ſcriptis diuulgaſti, & nouato-

rum odia omnia, totaſque iugulaſti falſimonias. Odia, inquam, illorum, quos tali liceat cõpellare

——— toto gens peßima Regno
Pullulat, inq; diem vires acquirit eundo;
Nomine amicitias, & pleno buccinat ore,
Factis bella gerit, ſpoliatq́; altaria donis,
Quæ Regum pietas, ſanctiq́; dedêre parentes.

Falſimonias verò eorum, quibus *non bona conſcientia* vt ſcitè ait Celſus, *ſed victoria litigantis eſt præmiũ*, & qui Cauſidicinæ dediti, ad quæſtum & lucellum eunt, vel inuolúcris legum peritè captare aut capere laudem habent. Et ſoli olim chamæleonti datum de corio ſuo ludere, nunc pleriſq; de fide: nullamq́; cauſam ita euidentem deferri poſſe in forum, cui nulla ne mendacij quidem velamẽta contingant. Horum Tu fucos *Iuſtitiæ Sacerdos* vt irritares, & quemque talem tacitè increpitum, ab iſtis comperendinationibus dimoueres, deſtinaſti Ius Ciuile, ad certũ modum redigere, atq; ex immenſâ diffuſâq́; legum copiâ, OPTIMA quæque & NECESSARIA in pauciſſimas conferre

ferre *Obſeruationes* Nam *vbi leges multæ*, inquit Plato, *ibi & lites multæ & vita moreſque praui.* Lis enim litem gignit, iterumque hæc aliam: & ſic nihil fit Iuridicina noſtra, niſi ſeminarium ingenijs, & campus ad calumnias fraudeſq; pangendas. O te virum amoris pariter ac venerationis, ſed & ingenij atq; iudicij præclarum! qui priuatus, pacem internam Patriæ, qui Secretarius, ciuium publicam vtilitatem, qui ſacrorum Myſtes, non venerabilis modò Capituli Palynurus, ſed totius Eccleſiæ patrimoniorum cuſtos, nobis præſtitiſti talia animo, factis, ore, & vtrumq; ludicras, imò facinoroſas artes, tuis ſerijs ſcriptis remouiſti, idque moderatè, vt ſuadere potiùs honeſta, quàm cogere videreris. Quid verò nunc, Regno votiſque publicis Senator & Sacrorum Princeps datus? eoſdem nos, eundem te putas, par omnibus & æquus, maiora omnibus polliceris, hoc tantum ipſe cęteris maior, quo melior; ſed melior illa tua adamata modeſtia, & vt quam exorata Roxolanis numina dediſſent. Ceremonias enim inanes & pompoſam

 vitam,

vitam, demolitur & obſcurat obliuio, ridet carpitq́; poſteritas: contra contemptor ambitionis & adfectatę venerationis domitor ac frenator animus, ipſa vetuſtate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus illa minimè neceſſe eſt. *Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum manet, ſed* B O N A *concupiſcenda eſt*, & qualem Tu tibi *ſcriptis* & *probitate vitæ* peperiſti. Illis in vrbe principe Roma, de geſtis Sereniſſimi noſtri, & nimbis bellorum modernorum diuulgatis; vnde liceat nobis & in præteritum de Patriæ euentibus iudicare, & futuros ſub exemplo præcauere, quo conſtantiùs & dolores noſtros, & gaudia perferamus, ingemiſcamus illis, quę patiebamur. Hac autem bonitate morum, dignitate laborum, & ornatu virtutum, non in Polonia noſtra ſolùm, ſed Europa tota haud in gloria. Nec iniuria. viri etenim boni, à prudentibus & bonis, affici honore, & laudibus cumulari, non ſolùm digni ſunt, ſed etiam debent, vt virtutis illorum orbis terrarum adhibeatur conſcius, tum vt conſtet, diuerſo monumentorum

torum

torum genere, bonos ac malos celebrari ſolere: illorum præclare facta ne ſileantur, his vt ex poſteritate ſit metus, cum altiore ſcriptorum cothurno priuantur: vel vt illi laude iſtâ firmarentur in bene agendo, iſti eò blandè traherentur, minimè cogendo.

Sed me verba prius, quàm ſingula in ordine dicã
Deſſicient.

quæ Tu pro Patria & Eccleſia geſſiſti, quam vtramque tuis ſcriptis, tuæ vitæ bonitate illuſtraſti, & interfuiſti candidatus, non Senatoriæ dignitatis tantum, ſed immortalitatis, & gloriæ, & exempli, quod ſequerentur boni.

——— *quos ignea virtus*
Innocuos vitâ, patientes ætheris imi
Fecit.

& mirarentur alij. Tibi enim maximus honor, excubare pro templis, poſtibusq; ſacris, tibi ſummum oblectamentum, gentis ſuæ nomen vindicare ab interitu, tibi gratiſſimum feſſis rebus manum dare, & erroribus petulantium modeſtia mederi, tibi demum propriſſimum, rectos ac viuidos ciuium animos,

non

non vt alii contundere ac deprimere, ſed ro-
uere & attollere, atq; tenuioribus ſubuenire beneficentia. Quare ego te Præſul optime, virtutibus omnibus tuis, omnibus comparo, multis antepono, atq; vt tantis muneribus addas perpetuitatem, gratulor ex animo felicem aduentum in locum, & ad homines fidei tuæ commiſſos. Quibus non dicam vt fructuoſa & ſalutaris (nec enim ambigimus) ſed vt grata etiam & diuturna gubernatio tua ſit, Deum precor. Enimuerò grauiùs aliquod onus in iis locis eſſe, vtrisq; hoſtibus Eccleſiæ immixtis, Schiſmaticis videlicet & Hæreticis facilè ſuſpicamur, ſed peruincet vt ſperamus & vouemus, cum *pietas* & *prudentia* tua, tum *modeſtia* & *patientia.* qua ipſa in ſummo culmine ſæpè, imò vel maximè opus; nihil enim in tali officio ſeueritati hilaritate, nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detrahitur. ſed tali niſu

——— *dum tu ſeruabis ouilia paſtor.*
Te duce fida canum exiliens cuſtodia paſsim.
Propellet clamore feras, atq; ignea verbi

Spicu-

Spicula diuini, aduersos vibrabit in hostes.

O dies ille exorere non lætus solùm, sed salutaris Roxolanis, nec Roxolanis tantùm aut Wołchynis, sed vicinis, sed dissitis, & quicũq; sunt in Religione aut Orbe Christiano. Nunc autem inter secunda omina, & vota certantia, aut hæc tecta vocibus resultantia, insignibus cum insigni gloriæ Diuinæ incremento acceptis, faue cunctis, faue nobis; qui faueamus & vouemus, vt omnia quæ facis, quæq; facies prosperè cedant tibi, Reipub. nobis, vel si breuiùs sit optandum, vt vni tibi, per quem & Respub. vtraq; conseruetur, & nos quieti optata quiete perfruamur.

PANXI & DICAVI.